BRUNO DE SEGNI

Oberitalien, 1. Hälfte 14. Jh.

Seite 189v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Hec omnia elegerunt in uiis suis et in
abhominationibus suis anima eorum
delectata est. Vnde et ego eligam illusiones eorum
et que timebant adducam eis. Quia uocaui
et non erat qui responderet locutus sum et non
audierunt fecerunt quod malum in oculis meis
et que nolui elegerunt. Hec inquit omnia
que superius enumerata sunt uidelicet immolare bo
uem, mactare pecus, et cetera elegerunt facere
Iudei in uiis suis recedentes a uiis meis qui ta
lia fieri interdico. Et in abhominationibus suis his
et similibus. Anima eorum delectata est. Vnde
et ego eligam illusiones et obprobria eorum
et que timebant adducam eis id est Romanos
de quibus ipsi dicebant. Si dimittimus eum
sic omnes credent in eum et uenient roma
ni et tollent nobis et locum et gentes. Quia
uocaui et non erat qui responderet locutus sum
et non audierunt fecerunt quod malum in oculis
meis et que nolui elegerunt. Hec autem superius
exposita sunt.

Audite uerbum domini qui timetis ad ser
monem eius. Dixerunt fratres uestri qui o
derunt uos et abiecerunt propter nomen meum
Glorificetur dominus et uidebimus in letitia
uestra. Ipsi autem confundentur. Quia locutus
sum inquit et iudei audire noluerunt. Au
dite uos uerbum domini qui eius sermonem timetis
dixerunt fratres uestri secundum carnem propinqui qui
oderunt uos et abiecerunt nullam alia de causa
nisi propter nomen meum. Hec est enim quod in euan
gelio dicitur. Trademini autem a fratribus a parentibus
et cognatis et propinquis propter nomen meum.
Quid dixerunt. Sequitur. Glorificetur domi
nus et uidebimus in letitia uestra. Ac si dicerent
Si uultis ut uerbis uestris credamus et christum uestrum
cuius tantam gloriam predicatis recipiamus.
Glorificetur et appareat in gloria et maiestate sua et
uidebimus eum simul uobiscum in letitia uestra
quam habituros uos esse promittitis. Ipsi autem quo
niam ista dixerunt confundentur. Vnde et subditur.

Vox fremitus de ciuitate uox de templo
uox domini reddentis retributionem in
imicis suis. Tempus enim quo ciuitas cap
ta est ubique uox clamoris ubique fremitus et
luctus audiebatur. Nam et ipse populus inter se diui
sus. Alii ciuitatem defendebant ab hostibus alii
ipsam arcem defendebant a ciuibus. Simul autem
et ciuitas et ipsum templum planctu et lamen
tationibus resonabat. Audita est etiam et uox
domini toto exercitu conclamante quando reddidit
retributionem inimicis suis. Nam et ange
lorum uoces in templo audire sunt dicentium.
Relinquamus has sedes. Et ipse dominus. Relinque
tur inquit uobis domus uestra deserta.

Antequam parturiret peperit et antequam ueniret par
tus eius peperit masculum. Quis audiuit
unquam tale. Quis uidit huic simile. Nunquid
parturiret terra in die una. Aut parturietur gens
simul quia parturiuit et peperit Syon filios suos.
Nunquid ego qui alios parere facio ipse non pa
riam dicit dominus. Si ego qui generationem ceteris
tribuo sterilis ero ait dominus deus. Vno nam
quod eodemque tempore et synagoga cecidit et ecclesia
parere cepit. Sed antequam parturiret antequam parien
di dolores sentiret peperit prius enim quam aliquam
persecutionis dolorem sentiret sancta mater ecclesia
per illam suam primitiuam et nobilissimam
filiam dominam nostram beatam uirginem ma
riam filium peperit. Et antequam ueniret partus eius
in quo simul una die nascerentur circiter tria mi
lia per uirginem nostram masculum de quo modo
diximus. Sed quis audiuit unquam tale. quis
uidit huic simile. Magnum et manditum
miraculum ut prius ecclesia pariat quam dolorem
sentiat et prius sit mater quam grauida. Nun
quid parturiet terra die una aut parturietur gens
simul. Fortasse interrogas quare hoc dixerim
uis audire quare quia parturiuit et tanta
uelocitate peperit Syon filios suos ut simul u
na die nati esse putentur. Subito enim predi
catione apostolorum conuersus est mundus. Nun
quid ego qui alios parere facio ipse non pariam
dicit dominus. Nunquid ego qui carnales
filios aliis tribuo ipse spirituales non generabo.
Si ego qui ceteris tribuo generationem transitoriam
et mortalem sterilis ero ut non pariam eternam
et immortalem. Noli de hoc dubitare Syon.
Hec enim locutus ille qui non mentitur dicit
dominus.

Letamini cum ierusalem et exultate in ea
omnes qui diligitis eam. Gaudete cum
ea gaudio uniuersi qui lugetis super ea ut su
gatis et repleamini ab ubere consolationis
eius. Vt mulgeatis et delitiis eius affluatis
ab omnimoda gloria eius. Letamini inquit
cum ierusalem cui tantam talemque prolem do
minus tribuit et exultate super ea omnes qui
diligitis eam. Si enim in beati Iohannis natiui
tate omnes uicini et cognati congratulati